



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio
fidei & doctrinæ Electorum, Principvm Et Ordinvm Imperii,
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam
Confessionem amplectuntur**

Lipsiæ, 1606

De vtraq[ue] specie.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35443

De utraq; specie.

LAicis datur utraq; species Sacramenti in Cœna Domini, quia hic mos habet mandatum Domini Matth. 26. Bibite ex hoc omnes. Vbi manifestè præcepit Christus de poculo, ut omnes bibant, & ne quis possit caullari, quòd hoc ad Sacerdotes tantùm pertineat, Paulus ad Corinth. exemplum recitat, in quo apparet totam Ecclesiam utraq; specie usam esse. Et diu mansit hic mos in Ecclesia, nec constat, quando aut quo autore mutatus sit, tametsi Cardinalis Cusanus recitet, quando sit approbatus. Cyprianus aliquot locis testatur, populo sanguinè datum esse. Idem testatur Hieronymus, qui ait, Sacerdotes Eucharistiæ ministrant, & sanguinem Christi populis diuidunt, Imò Gelasius Papa mandat, ne diuidatur Sacramentũ, Dist. 2. de Consecratione, cap. Comperimus. Tantùm consuetudo non ita vetus aliud habet. Constat autè, quòd consuetudo contra mandata Dei introducta, nõ sit probanda, ut testantur Canones, Dist. 8. cap. Veritate, cum sequentibus. Hæc verò consuetudo non solum contra scripturam, sed etiam contra veteres Canones & exemplum Ecclesiæ recepta est. Quare si qui maluerunt utraq; specie Sacramenti uti, non fuerunt cogendi, ut aliter facerent cum offensione conscientia.

Et quia diuisio sacramenti non conuenit cum institutione Christi, solet apud nos omitti processio, quæ hæctenus fieri solita est.

De coniugio Sacerdotum.

Publica querela fuit de exemplis Sacerdotum, qui non continebant. Quam ob causam & Pius Papa dixisse fertur, fuisse aliquas causas cur ademtum sit Sacerdotibus coniugium, sed multò maiores esse